



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IX. An in Prælati religio sis potestas coerciua, tum in vniuersum, tum
speciatim ad pœnas spirituales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

est periculum contrarium conseruationi naturæ. D. Thomas ergo in priori sensu loquitur; potestas autem hæc, de qua agimus, solum posteriori modo se extendit ad huiusmodi malum contrarium naturæ. Et ratio à priori est, quia per huiusmodi præceptum non præcipitur fieri aliquid naturæ contrarium, sed præcipitur permitti, seu pati, si necesse sit: quod est rationi consentaneum, & interdum bono communi necessarium, ideoque sub potestatem humanam cadit. Ad aliud fundamentum respondetur, potestatem hanc immediate ac formaliter esse iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ad huiusmodi præcepta extenditur. Quia vero aliquo modo supponit professionem religiosam ut fundamentum, ideo dicitur ulterius, ex vi professionis subditi religiosum huiusmodi præceptis, quatenus sunt consentanea tali statui, & corpori religionis, cuius pars efficitur per præcipiendum etiam cum periculo vitæ ratione sui status ac professionis. Quapropter etiam si religiosus dum vouet obedientiam, expresse non intendat obligare se ad obediendum in his casibus, implicite id intendit, imo, etiam si velit, non potest hanc intentionem excludere, quia repugnat intentioni proficendi. Vnde hoc genus præcepti non excedit ea, quæ sunt consentanea regulæ, ut declaratum est non enim dicimus, posse Prælatum pro arbitrio suo præcipere, sed quando ad bonum religionis, vel ad debitum munus, vel ministerium eius sit pertinet: quidquid autem huiusmodi est, spectat ad regulam religiosam, ut supra vidimus.

XXXI.

Atque hinc fere responsum est ad alteram questionem: iam enim declaratum est quando Prælatus rationabiliter hanc habet voluntatem, seu intentionem. Vnde vel ex verbis eius expressis, vel certe ex re ipsa intelligi poterit talis voluntas. Ad hoc autem magis explicandum aduerto dupliciter coniungi hoc periculum actioni præceptæ, scilicet, omnino per accidens, & præter intentionem ac præcisionem præcipientis, & per se aut de facto hic & nunc cum præscientia præcipientis. Quando accidit priori modo, regulariter excusabitur quis à præcepto, quia non intercedit voluntas præcipientis, cum nihil sit volitum si non sit præcipiendum: nec etiam præsumitur, quia ordinaria conditio præcepti humani est, ut non obliget cum tanto rigore, neque aliud esset rationi consentaneum, quia non esset moraliter tolerabile. Dico autem, regulariter, quia si in re ipsa intercederet magna necessitas religionis, & oppositum vergeret in grauem ignominiam, vel detrimentum eius, tunc sine dubio præceptum obligaret vel ex natura rei, vel ex implicita voluntate præcipientis, sicut de præceptis Ecclesiasticis est communis doctrina. Quando vero periculum inest posteriori modo in re præcepta, clarum est, voluntatem præcipientis esse obligatæ, non obstantem tali periculo, & per se loquendo, præsumitur talis voluntas rationabilis, nisi oppositum manifeste constet. Quæ doctrina communis est quoad vtramque partem, sumiturque ex D. Th. 2. 2. q. 120. Caietano ibi, & 12. q. 96. ar. 4. & 6. Soto 2. de Iustit. q. 5. ar. 8. Castro li. 1. de Lege pen. c. 5. docum. 5. Nau. c. 23. n. 43. Sylu. verb. Præceptum. q. 3.

CAPVT IX.

*Virum in Prælatiis religiosi sit potestas coercitiua
suum in uniuersum, eum speciatim ad
pœnas spirituales.*

- I. Quid in his Prælatiis aliqua sit potestas huiusmodi, id manifestum est, tum ex usu, tum ex ratione, quia potestas directiua sine aliqua coerci-

tione, infirma ac fere inutilis est, quia sine timore ac disciplina non potest communitas humana in officio contineri, quantumvis bona videatur in hac vita mortali; quia corpus, quod corrumpitur, & grauatur animi, & caro conuulsi, cens aduersus spiritum, sepe vincit, ideoque spiritus in die cadit in suum. Est igitur omnino necessaria hæc potestas, ut ordo, pax, & institutio religiosa conseruetur. Explicandum vero est, qualis & quanta sit. In quo distinguere iterum oportet in statum religioso, id quod habet quasi ab intrinseco ex pura natura sua, vel quod habet ab extrinseco superadditum ex prouidentia, & liberalitate Pontificum.

Dicendumque primo est, Prælaturam religionis ex vi talis status, seu professionis, ac voti obedientiæ subditorum, solum habere potestatem coercendi modo paterno, & iuxta limites Regulæ. Probatur, ac declaratur, quia ut sic non habet iurisdictionem, sed potestatem dominatiuam in illarum domus, quam habet pater familias in domo sua: solum enim differunt, quod hæc circa exteriora, & corporalia, illa vero circa spiritualia præcipue versatur. In hoc autem conueniunt, quod neutra est proprie iurisdictionis, vnde neuter etiam illorum est proprie iudex, qui possit grauem penam corporalem, vel spirituales imponere; sed solum eam correctionem adhibere, quæ inter latitudinem familiaris domus ac prouidentie locum habere potest. Qualis autem, vel quanta esse possit hæc pena, iudicio prudentis arbitrij relinquendum est, ut considerato usu, & communi more hominum id iudicet. Exemplo monialium id ita declaratur. nam in eis est potestas aliqua coercitiua iuxta regulam, licet iurisdictionem non habeant; illæ tamen non excedunt religiosam disciplinam per leuiiores penitentias. Quod si grauior punitio necessaria est, ad Prælatum recurrere oportet. Eodem modo in religionibus virorum Vicarius, licet iurisdictionem non habeat, potestatem aliquam coercitiuam habet, quæ ultra leues, & ordinarias penitentias non se extendit. Itemque fuisse olim obseruatum in religionibus quando Præpositi sacerdotes non erant, nec iurisdictionem habebant, intelligi potest ex Regula Augustini, nam circa finem sic ait, *Præpositum quam patri obediatur, multo magis Presbyteri, qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligeris præcipere, sed ut emendandum, corrigendumque iuretur, ad Præpositum præcipue pertinet, ut ad Presbyterum, cuius est equalis vos maior auctoritas, referat quod modum, vel vnde quis excedit.* Denique hæc potestas solum fundatur in voto obedientiæ, & ab illo quodammodo manat, & ideo non excedit commune & regularem intentionem sic vouentium: imo fortasse ipsi non possent dare maiorem potestatem supra scriptos, nisi à publica potestate descenderet, ut ex dicendis patebit.

Dico secundo, Prælatus religionis ratione iurisdictionis Ecclesiasticæ habet perfectam potestatem coercitiuam Episcopalem. Hoc constat etiam ex usu, & ex privilegijs omnium religionum exemptarum: quæ enim exemptæ non sunt, non habent reuera hanc potestatem in seipsis, vel in suis intrinsecis Præpositis (ut ita dicam) sed manet in Episcopis, qui illam sine dubio non habent in moniales sibi subiectas; & idem est de viris, si exempti non sunt: ergo in exemptis talis iurisdictionis residet in proprijs Prælatiis: non enim extincta est, nec Summo Pontifici reseruata, nec enim expediebat, cum sit ordinariæ, & regulariter necessaria: ergo translata est in religionem ipsam, & Prælatos eius per Summos Pontifices, non quidem iure communi, sed speciali, ut supra tetigit, quod proinde considerandum est. Addit Nau. Comm. 2. de Reg. n. 63. hanc iurisdictionem.

iurisdictionem magna ex parte introductam, vel auctam esse consuetudine, quæ vim habet dandi iurisdictionem, cap. *Deo simul*, de offic. Ordin. quod etiam repetit Comm. 3. de Reg. in fine. Et ideo consuetudinum etiam est habenda ratio: nam ratione illarum fieri potest, vt tota iurisdictione sit à Prælati religioso, quoad omnia delicta, vel quod aliqua sint Episcopi reseruatæ, aut quod in vtriusque sit iurisdictione accumulatiue, de quo nonnihil in fine c. n. dicemus. Vt autem hæc potestas explicetur, aduertendum est, duplicem esse posse coercionem in Prælati Ecclesiastico, scilicet, spiritualem, & corporalem: illa prior fit maxime per censuras, irregularitates, vel inhabilitates ad quæcunque spirituales bona, vel iura, vel ministeria, & omnia alia, quæ ad hæc reuocari possunt; sub corporali comprehendimus quamcunque corporis castigationem, afflictionem, vel etiam publicam reprehensionem, aut infamationem, aut incarcerationem, vel deputationem ad quodcunque vile, vel laboriosum opus, seu ministerium: alia enim pænæ temporales, quæ fieri solent in externis bonis fortunæ, in religiosis, qui non possident propria bona cum proprie non habent, quanuis enim priuari possint vñ aliquarum rerum, qui alias iphis liceret, vel etiam secundum Regulam esset debitus, illa tamen priuatio propter corporis afflictionem imponitur, & ita sub prædictis pœnis comprehenditur.

Tractatur secunda pars tituli, de potestate coercitua spirituali.

IV. Quæri ergo in primis potest, quantum se extendat hæc potestas Prælatorum religionis, quoad spirituales coercionem, in modo seu numero, aut specie pœnarum. In qua re in primis, si limitatio adhibita est vel in Pontificum concessione, ac priuilegijs, vel in distributione, seu applicatione eius, facta ipsi Prælati per religionem ipsam in suis Capitulis, vel per aliquem Superiorem, potestatem habentem, illa limitatio seruanda est: hoc autem quia ex positua constitutione pendet, inde in vnaquaque religione sumenda est. Quando autem indemnitas est concessio ad elegendam & gubernandam religionem sub protectione immediate Summi Pontificis susceptam, & ab Ordinariis iurisdictione exemptam, illa potestas non habet aliam limitationem, nisi quam ex natura rei secum affert, vel iure communi habet in Episcopis: quia ex nullo alio capite fingi potest limitatio, & vbi lex non distinguit, nec limitatio addit, non possumus nos voluntarie illam excogitare. Vnde fit, esse in huiusmodi Prælati potestatem ad coerendos subditos per quascunque Ecclesiasticas censuras, quæ alias iuste possint in tali materia, seu crimine personis imponi. Pater, quia in Episcopis est hæc potestas: ergo & in his Prælati item quia hi Prælati possunt excommunicare: ergo & alias censuras ferre.

Dixi autem, quæ possunt imponi personis, vt excluderem interdictum locale, quod non potest ab his Prælati imponi, vt in superioribus dixi, in c. 2. n. 1. 4. ex propria materia de censur. Dubitari autem potest, an extendatur ad censuras, quæ communitatibus imponuntur, vt sunt suspensio Capituli, & interdictum generale personale. Non video tamen cur sit illis hæc potestas neganda, quia vere sunt Prælati, & iudices respectu inferiorum communitatum, vt, v. g. Generalis respectu Capituli Prouincialis, & inferiorum, & Prouincialis respectu Capituli conuentualis (debent enim cum proportionem sumi.) ergo potest Prælati superior suspendere Capitulum sibi subiectum, vel interdicere communitatem religiosam, si necesse sit, quia hæc potestas iure ordinario coniuncta est cum tali iurisdictione, & utilis est ad communem gubernationem, & nulla est ratio excipiendi illam. Interdictum enim locale est specialis ratio, quia quodammodo redundaret in personas non subditas ipsi Prælati regularibus, & propterea non est eis data tam ampla potestas, quanta est in Episcopis: interdictum autem personale non transcendit ipsas personas, vel communitatem earum; & ideo non est in eo similis ratio.

Dubitari autem potest, an hæc potestas ferendi censuras conueniat etiam Prælati conuentualibus religionum: illi enim videntur esse tanquam Parochi, quibus hæc potestas non conceditur. Dicendum vero est, etiam illos habere communiter potestatem excommunicandi, vt constat ex obseruantia fere omnium religionum, & ex supra dictis, citato cap. 2. vbi ostendimus, posse etiam Prælatos habere iurisdictionem quasi Episcopalem, nam hic actus solet esse primus, qui cum tali iurisdictione conceditur. Vnde fit, vt hi Prælati etiam possint suspendere singulas personas sibi subiectas, quia qui potest excommunicare, potest etiam suspendere, nam qui potest in maius, potest etiam in minus, quando est rationis similitudo sufficiens, vel quando comparantur quodammodo tanquam totum, & pars, & potestas est iurisdictionis ordinaria, & non delegata: quæ omnia in presenti concurrunt. Suspendio autem Capituli, & communitatis non videtur pertinere ad hos Prælatos: quia non habent Capitulum à seipsis condistinctum, & sibi subiectum: Prælati enim conuentualis non habet iurisdictionem extra suum Capitulum, illius autem ipse est caput, & ideo nihil potest peccare ipsum Capitulum, quod ipsi præcipue non imputetur, ac proinde non potest ipsemet esse iudex criminis commissi à tali Capitulo, vt Capitulum est: ergo nec potest illud punire per suspensionem. Denique, sicut non potest suspendere seipsum, ita nec Capitulum, cuius ipse est caput. Vnde, licet iuste suspenderet singulos, ipse semper maneret habilis, & in eo seruaretur vox Capituli, iuxta doctrinam Abbatis in c. 1. de elect. n. 5. communiter receptam, vt testatur Nauarr. consil. 38. de Reg. Atque eadem ratio est de generali interdicto personali totius conuentus: particulare vero videtur ferri posse per huiusmodi Prælatos, propter rationem proxime factam. Ordinarie autem non videtur esse in vñ, sicut sunt alia duæ censuræ. Cuius ratio fortasse est, quia pro singulis personis illa duæ censuræ sunt magis accommodata, & sufficiunt maxime personis religiosis, quæ non solent esse adeo contumaces. Imo, vt recedant à contumacia sola excommunicatio imponi solet; quando vero additur suspensio, magis est ad punitionem delicti commissi, ad quem finem non est tam accommodata censura interdicti, quia priuat medijs spiritualibus, & necessarijs ad animæ profectum.

De alijs autem pœnis Ecclesiasticis dicendum est, propriam irregularitatem non posse ab his Prælati imponi. Probatur, quia neque Episcopi illam imponunt: irregularitas enim tam grauis res est, vt solo Pontificio iure imponatur, & solum in casibus ab ipso expressis, c. 7. q. 1. de sent. excomm. in 6. extra quos casus nec per iudicis sententiam, nec per nouum ius inferiorum Prælatorum potest imponi, vt in propria materia disput. 40. de censur. ostendi: ergo nullo modo Prælati religionum hanc pœnam imponere possunt, sed ad summum declarare, an quispiam subditorum illam incurrerit.

De alijs vero inhabilitatibus res est magis dubia: hinc enim videtur, inhabilitare personam ad actum, ad quem natura sua, vel diuino iure habilis est, videtur esse potestatis supremæ, quem vocant meri, & mixti imperij, vt colligi potest ex his, quæ tradit

VI.

VII.

VIII.

tradit Nau. consil. 26. de Regul. n. 4. & 5. In contrarium autem est, quia per statuta religiosorum puniuntur, saepe huiusmodi poenis, quibus redduntur inhabiles ad Praelationes, vel officia, &c. Respondetur quando huiusmodi poenae iure communi praescriptae sunt, ut imponenda propter aliqua delicta, Praelatum regularem iuste posse talem poenam imponere; imo etiam debere, quando iure proprio religionis alia poena praescripta non est. Patet prior pars, quia illa poena canonica est, & proportionata tali delicto: ergo iuste imponi potest a iudice, qui potestatem habet Ecclesiasticam puniendi tale delictum; cum aliis ei non sit specialiter prohibitum talem poenam imponere. Posterior autem pars probatur, quia iudex debet secundum ius iudicare. ergo si non habeat proprium, debet iudicare secundum commune ius. Licet enim religiosi sint exempti a iurisdictione Episcoporum, non tamen a iure communi. Et ideo si poena sit lata ipso iure, & tale ius vniuersale sit pro omnibus Ecclesiasticis personis, religiosus transgressus ipso facto poenam incurrit: ergo si poena solum sit ferenda per iudicem, etiam erit imponenda religioso delinquenti per suum Praelatum. At vero si ius non sit vniuersale, sed de clericis secularibus loquatur, (quod attente ex verbis, & visu considerandum est) tunc non erit ita necessarium illam poenam imponere, sed ad prudentiam iudicis pertinebit illam legem imitari, & cum proportionem ad talem personam, & statum illam applicare.

IX. Quando vero talis inhabilitas non est iure communi imposita, aduertere oportet, an respiciat actum, cuius valor pendet aliquo modo ex potestate dominatiua vel voluntate religionis, nec ne. Nam, quando habet dictam dependentiam, optime potest religio talem inhabilitatem imponere, seu instituire, quia potest suum consensum non praestare, vel potestatem non concedere: si ergo potest inhabilem reddere personam ad Praelationem in religione habendam, non consentiendo scilicet electioni eius, vel non praebendo iurisdictionem, quae ab ipsa religione manare debet. Aliae vero spirituales poenae, vel inhabilitates, quae huiusmodi non sunt, neque a iure sunt institutae, non possunt a religionibus denuo excogitari, aut institui, quia hoc proprie spectat ad Pontificiam potestatem, ut latius diximus tractando de Censuris, & de Irregularitate disp. 40. multoque minus possunt ipsi Praelati nouas spirituales poenas adinuenire, aut imponere, sed solum quae iure communi, aut proprio impositae sunt, vel ad instar illarum, quando poena fuerit arbitraria.

An dicta potestas competat Abbatissis monialium.

X. Tandem dubitari potest, an haec potestas conueniat, vel conuenire possit Abbatissis monialium. Ratio dubij quoad priorem partem esse potest, quia olim Praefecti monasteriorum, licet essent laici, poterant suspendere, & excommunicare: nam de excommunicatione saepe fit mentio in Regula S. Benedicti, ut patet ex regula 23. & sequentibus. usque ad 28. suspensionis autem meminit Cassianus li. 4. Instit. c. 20. ergo eadem ratione poterunt Praefectae monialium similes poenas imponere. Quoad secundam vero partem ratio dubitandi esse potest, quia in cap. *dicta*. de maiorit. & obedi. dicitur, Abbatissam solitam esse suspendere ab officio, aut beneficio moniales, & clericos suae iurisdictioni subiectos. De hac re dixi ex professo in materia de Censuris, disp. 2. sect. 2. a nu. 5. & ideo breuiter eam expediam. Loqui enim possumus aut de communi, & ordinario iure, aut de speciali privilegio ali-

cuius Abbatissae. Priori modo dicendum est, non posse monialium Praelatas huiusmodi poenas spirituales imponere, quia saltem ordinario iure non habent iurisdictionem spirituales, quae ad illas poenas imponendas necessaria est. Vnde idem dicendum est de quocunque Praefecto religiosorum non ordinato, quia secundum commune ius non clericus non est capax iurisdictionis spiritualis, ut supra retigimus, cap. 3. n. 20. & latius in eodem loco diximus: & ideo adnotauimus etiam supra, excommunicationem illam apud S. Benedictum non esse censuram Ecclesiasticam, sed solum separationem quandam a communi mensa, vel choro, vel conuersione fratrum, ut ab expositioribus adnotatur, & ex ipsa Regula non obscure colligitur. Et similis erat suspensio, de qua loquitur Cassianus, eamque vocat suspensionem ab oratione, id est, vel separationem a communi oratione, vel priuationem proferendi orationem aliquam in communi conuentu fratrum. Has ergo, & similes poenas poterunt Abbatissae monialibus imponere, si alioqui sint conformes suae Regulae, vel consuetudini, & ordinarium modum disciplinae religiose non excedant. Nec tales poenae sunt proprie spirituales, sed ad corporales reducuntur, ad modum exilij, vel separationis cuiusdam. Fortasse etiam potest hac poena ad aliquid spirituale extendi, ut si iubeatur quis non communicare tali die, vel non orare, sed in aliquo opere laborare in poenam: haec tamen, si aliquando permittantur, non imponuntur per propriam iurisdictionem, sed solum ut mandata quaedam per dominatiuam potestatem, & non inferuntur proprie, ut sunt spirituales priuationes, sed ut inducunt aliquam notam, vel ruborem.

Loquendo autem de specialibus privilegijs, Canonistae multa concedunt his Abbatissis, ut patet per Panormitanum, & alios in dict. cap. *dicta*. & in cap. *dicta*. de Consuetud. n. 20. & in cap. *dicta*. de Excess. Praelat. nimirum, posse conferre beneficia, & habere ius instituendi, & consequenter, posse suspendere a beneficio, imo & tollere illud, vel etiam suspendere ab ordine, saltem lato modo, praecipiendo scilicet clericis ne celebrent. Et rationem reddunt, quia ista sunt iurisdictionis spiritualis, & non ordinis. Et nihilominus omnes pro competito habent, non posse ex quocunque privilegio Ecclesiasticas censuras inferre: & hoc sequuntur Sylu. Angel. & alij, verb. *Abbatissa*. Difficilis tamen est illa ratio, & non satis consequens doctrinam: nam ferre censuras etiam est actus spiritualis iurisdictionis, & ad illum non requiritur ordo per se, & ex tali actus: ergo eadem ratio est de illo, & de quocunque alio actu, qui per se requirit iurisdictionem spirituales, & non ordinem. Patet consequentia, quia vel spiritualis iurdictio praerequit ordinem (sub illo primam consuram includendo) tantquam necessariam dispositionem, seu conditionem, ut subiectum sit capax talis iurisdictionis; & sic nulla iurdictio spiritualis, neque actus eius esse poterit in foemina. Vel neque isto modo requiritur ordo ad iurisdictionem spirituales habendam, & exercendam; & sic etiam iurdictio ad censuras ferendas esse poterit in persona carente omni ordine, vel etiam incapaci ordinis. Responderi poterit, verum quidem esse de absoluta potentia Pontificis posse iurisdictionem spirituales, etiam ad censuras ferendas, communicari laico, vel foeminae; tamen secundum ius commune, & perpetuam Pontificum obseruationem id nunquam fieri, nec talia privilegia concedi: alios vero actus, qui minorem iurisdictionem requirunt, interdum concedi Abbatissis. Sed distinctio haec mihi non satisfacit, quia non video quomodo possit sufficere in iure fundari: nam quod laicis, vel foeminis non communi-

etur iurisdicção ad excommunicandum, v.g. maxime habetur ex generali regula, quod potestas clauium, etiam iurisdictionis tantum fit, folis clericis communicatur, iuxta ordinarium, & perpetuus ius Ecclesie: omnis autem iurisdicção foriuitualis pertinet ad potestatem clauium. Vnde D. Th. in 4. d. 19. q. 1. art. 1. quest. 3. ad 4. generaliter ait, *fem nam non poss. habere aliquam iurisdictionem sibi iralem.* & iterum, *feminam non habere clauem ordinis, a: iurisdictionis.* Addit autem, *mulieri committi aliquem vsum clauium.* Circa quæ verba difficile ad explicandum est, quomodo alicui committatur vsus clauis, si non committitur ipsa clauis: nemo enim vti potest re, quam non habet. Item nemini committi potest vsus iurisdictionis, nisi committatur iurisdicção: ergo similiter, &c. Quid ergo est committi feminæ vsus clauium, vel (quod idem est) vsus iurisdictionis Ecclesiastica, si clauis ipsa, & iurisdicção non committitur?

Sancti D. Tho. non aliter declarat vsus clauium,
qui committitur feminis; nisi quia eis datur habere
correctionem in subditis masculinis, propter periculum, quod
imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent. Vnde non
videtur loqui de speciali potestate; quod illi solet a
liquando concedi ex privilegiis, non solum in feminis
subditas, sed etiam in viros, & clericos, quos
interdum potest habere subiectos, vt patet ex di-
c. c. de l. et. Quare, iuxta mentem D. Tho. non
dicitur concedi femina vsus clauium, quia verus
actus iurisdictionis spiritualis eis non concedatur: nam
corripere subditas feminas non est actus iurisdic-
tionis spiritualis, sed est actus cuiusdam domini
religiosi, quod proprie non a potestate clauium, sed
a voto obedientie, & professione religiosa descen-
dit. Vocatur autem ille vsus clauium vel solum per
quamdam analogiam, & imitationem, quia illud
dominium est aliquo modo spirituale; vel quia et-
iam illa potestas, & vsus eius non est sine interven-
tu clauium, quia etiam ille modus Prælationis, seu
regiminis non potest esse sine approbatione Pon-
tificis, & ideo est veluti quidam vsus per claus co-
missus. Quocirca respectu monialium certum vi-
detur, nunquam Prælatas habere potestatem im-
ponendi prædictas penas spirituales, saltem per
seipsas: quia per nulla privilegia maior potestas co-
rectoria eis conceditur circa maiores subiectas,
quam quod sufficiat ad prædictam correctionem re-
ligiosam.

XIII. De alijs vero personis, & maxime de clericis, qui interdum eis subijciuntur, existimo inprimis, illam subiectionem non esse ratione alicuius propriæ iurisdictionis spiritualis, vt ratio facta, & authoritas D. Thomæ probat, sed ratione alicuius domini, vel iurisdictionis, quæ licet substantialiter temporalis sit; tamen annexa est aliquo modo bonis aut personis Ecclesiasticis, & ideo Ecclesiastica dici potest, & quodammodo spiritualis, quam committi femine, nec repugnat, nec est omnino inutilitatem. Atque hoc modo habet aliquando Abbatissa integram administrationem, & gubernationem omnium bonorum monasterij, quæ Ecclesiastica sunt, inter quæ bona sæpe continentur villæ & castra, quorum iurisdicção temporalis tota est monasterij, & Abbatissæ committitur, & aliquando etiam extenditur ad personas clericorum, quantum ad actum præcipiendi illis, & castigandi illos nam hi etiam actus de se non sunt spirituales, sed corporales (vt sic dicam) Ecclesia autem eos sibi reservauit propter dignitatem talium personarum; eos autem interdum committit etiam per iurisdictionem ordinariam his personis, quæ licet ordinem non habeant, sunt tamen Ecclesiasticæ, & in Ecclesiastica dignitate constitutæ. Quæ conditio sufficit, vt ei committatur iurisdicção in personas

Ecclesiasticas, quando non datur ad actus proprie
spirituales, sed ad alios temporales, vel corporales,
quatenus in persona Ecclesiastica versari possunt.

Quocirca quando actus est proprie spiritualis, exilium nunquam dari huiusmodi perionis propriam iurisdictionem ad illos efficiendos; sed ad summum concedi actum aliquem, qui sit veluti conditio, ad cuius praesentiam, id quod spirituale est, fit ab Ecclesiastico Prelato, ad cuius potestatem id spectat. Exemplum quod est in facultate eligendi confessorum, quae datur poenitenti: non enim illi tribuitur potestas dandi alteri iurisdictionem, sed designandi personam, qui statim Pontifex dandi iurisdictionem. ita ergo, cum dicitur Abbatissa posse conferre beneficium, aut habere ius instituendi, & similia, intelligendum existimo quoad actum praesentandi, seu designandi clericum, cui beneficium, vel iurisdicatio Ecclesiastica conferatur: nam dare hanc iurisdictionem, vel beneficium quoad ius spirituale, quod includit, est actus clauium, quorum potestas feminis non communicatur, iuxta cap. *nona*, de poenit. & remiss. Aliquando vero haec praesentatio fit homini, v.g. Episcopo, vt ab eo collatio, & institutio fiat, vt in cap. *ad noscitur*. de his, quae sunt a Praelatis sine, &c. Aliquando vero fieri potest absoluta per simplicem designationem, & quasi electionem, vt, ipso facto beneficium, & spirituale ius a Pontifice conferatur. Atque eadem ratione potest interdum Abbatissa dare possessionem beneficij, quia ille in rigore non est actus propriae iurisdictionis spiritualis in ipso executore, sed in praecipiente; tunc autem Abbatissa solum se habet tanquam ius, cui delegatur executio: & eodem modo potest dare titulum, id est, testimonium beneficij alteri collati, non a se, sed a Pontifice ad suam nominationem. Eodem ergo modo possunt & contrario priuare beneficij, vel possessione eorum in poenam, si hoc eis speciali priuilegio concessum sit, quia tunc etiam non exercent proprie iurisdictionem spirituales, sed ad voluntatem earum Pontifex est, qui suspendit influxum, seu aufert iurisdictionem spirituales.

XV.

Dices. Ergo simili modo poterunt etiam excommunicare, non directe, & per le spirituale vinculum faciendo, sed designando personam, quam Pontifex statim liget ad declarationem, seu voluntatem Abbatissæ. Respondetur, non inueniri in hoc repugnantiam, nec excedere potestatem Pontificis, vt à fortiori constat ex dictis in materia de Censuris: regulariter autem hoc non concedi fortasse propter periculum abutendi censuris, vellent enim suo iudicio illas imponere, vel auferre, quod non potest esse conueniens. Aliquando autem concedi solet his Abbatissis, vt per officiales suos possint excommunicare, tunc autem ipsi officiales non accipiunt potestatem excommunicandi ab Abbatissis, sed à Summo Pontifice ad mandatum, seu designationem Abbatissæ: sicut dici etiam potest de Conseruatoribus iudicibus, eliguntur enim à religiosis per sua priuilegia: iurisdicatio autem eis datur à Summo Pontifice. Denique eodem modo de alijs censuris suspensionis, & interdicti iudicandum est, vt expresse Abbas supra docuit: quantum, latius loquendo de his prout solum significant prohibitionem aliquam, possit interdum per huiusmodi Abbatissas heri, vt supponitur in dict. cap. *discreta*. & dixi in materia de Censuris. Et hæc de poenis spiritualibus.

✱ ✱
✱